



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Abundantia. 19. Januarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

## S. ABUNDANTIA:

19. Januarii.

*Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, & hac est victoria, qua vincit mundum fides nostra.*

S. Ioan. Ep. 1. cap. 5.

Satis laudasse ABUNDANTIAM videri possem, si illud modò dicerem, & natam & mortuam laudatam ultrò ab ære Campano fuisse. Adjiciam tamen alia pluscula. Cum sacro fonte tingeretur, dicuntur lampades templi suapte sponte accensæ & infantium lucem, & urbi infantem gratulatæ esse, ipsaq; ABUNDANTIA jam tunc in innocentis faminae patrocinium (adulterii rea agebatur) fuisse facunda. Jam octennem ferunt ab icone Pueruli IESU, MATRIS sinum insidentis pomum aureum, quod manu fortè pictum gestabat, petiisse, & adeò impetrasse; *αριδαρον* deinde flores (ab hyeme donatos) eidem attulisse, & ut acciperet, persuasisse. Sed hucusque cælum cum puella lasit; quæ dicam, severiora sunt. Itaque memorant cum Majolo Abbate matreque; Jerosolymam iniisse, cum cætera Christi vestigia

stigia



stigia, tum illa potissimum venerabundam  
 exosculatam fuisse, ubi ille pondere Crucis  
 fessus obviam MATREM habuit, heu! alte-  
 ram tunc oculis suis crucem; hinc lachrimis  
 diffluere voluisse ABUNDANTIAM; hinc  
 flagris ita in sese sævisse, ut sicut oculi in fon-  
 tem, ita sanguis fusus in rivos abire videretur.  
 Abhinc Angelo Duce in antrum Onuphrii  
 devenisse, illicque faminam viri vitam vix-  
 isse. Ad extremum repertam à patre redu-  
 ctamq; in patriam, omnem, hoc mortuo,  
 hereditatem egenis cessisse, mortuam dein-  
 de etiam ipsam pro funere ab Angelis lau-  
 datam cantu fuisse. *EX FERTAY.*

## MEDITATIO

*De constantia in pie susceptis.*

1. **A**D finem usque constanter perseveret, qui  
 mercedem sperat laborum suorum: Domi-  
 nus non mutatur, dedecet servos mutari. An non  
 sequum est, ad brevissimum vitæ tempus ejus non  
 esse, qui noster futurus est totâ æternitate? virtus  
 hæc parùm placet Deo, quæ augetur vel minuitur  
 pro nostrâ levitate.

2. Nihil planè suscipias, nec ad gloriam quidem  
 divinam, quin prius, quid inde sequi possit, dili-  
 genter prævideris; Ubi verò quidpiam suscepisti  
 ad Dei gloriam, continuo spretis difficultatibus suis

septum



ceptum perſe . Martyres nullis unquam cruciati-  
 bus a Chriſtiana fide potuere dimoveri . Sancti in  
 poenitentiae laboribus perfeverarunt , carne relu-  
 ctante , & Damone tentationes plurimas immit-  
 tente .

3. Augendarum fortunaru occasio ſi detur , pro-  
 teinus , & quovis periculo arripitur ; deficit animus ,  
 ſi Dei cultus augendus ſit . Nunquam plane defa-  
 tigaremur in via virtutis ; ſi vitæ brevitatem & in-  
 certum finem , ſuppliciorum atrocitatem , & præ-  
 miorum magnitudinem ſpectaremus . Excitemus  
 languentem , & ſocordè animum id genus ſtimulis .  
*Mercenarius , quod grave perpendit ex opere , leve existi-  
 mat ex remuneratione . Greg.*

## S. SEBASTIANVS.

20. Januarii.

*Intrate per anguſtam portam : quia  
 lata porta , & ſpatoſa via eſt ,  
 qua ducit ad perditionem , &  
 multi ſunt , qui intrant per eam .  
 Chriſtus . Matth . cap . 7 .*

**A** Nno poſt CHRISTVM natum LXXX  
 VI. ſupra CC. Marcus & Marcellianus  
 Chriſtiani milites ad defectionem vehementer

D

ter